



O puer, o patri luctus, quid mi tua sæpe
 Fata refers? Animus non mihi tabificum
 Ardentis jubar ad Phœbi contendere vela:
 Altior incedat flammeus ille polo.
 Nil mihi cum volucrum pennis: nova Palladis Argo
 Surgit in aeriis arte regenda plagis;
 Tiphys & alter ego florentis robora pubis
 Ducam lascivis carbasa dans Zephyris.
 Ecce mihi Uranie puppi comes adsidet, ecce
 Ad mea hyanteas vota vocat focias:
 Cui faveant Musæ, violenti Strymonis undas
 Frœnat, & umbrosam voce movet Rhodopen,
 Thebanasque novis circumdat mœnibus arces,
 Et fertur magno sospes in Ionio.
 Si velit, & suavi potis ille extinguere cantu
 Ipsius irati flammea tela Jovis,
 Et potis auratos (a) nexus diffringere, mundi
 Tollere queis juret mœnia cum Superis.
 Nam simul ac sacro vox edita vatis ab ore,
 Illius se in cor detulit insinuans,
 Subsiduntque iræ, totaque in fronte renidet
 Dulcis pax almæ filia lætitiæ,
 Ipsius & sceptro super illa avium regina
 Hinc atque hinc laxans parte ab utraque leve
 Remigium alarum, postquam est adfusa soporis
 Nubes lenito nigra supercilio,
 Suave oculis claustrum, somnos placide levis efflat,
 Atque efflans dorsum subrigit uvidulum.
 Gaudet quin etiam cantu Mars cæde cruentus
 Hastarum oblitus tunc, & equum, & clypeum:
 Altaque Di quotquot cœlestia templa frequentant,
 Et ducunt haustus ambrosios cyathis.

(a) *Homerus Iliad. lib. VIII.*